



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Enchiridion Theologiæ Pastoralis Et Doctrinæ Necessariæ Sacerdotibvs Cvram Animarum administrantibus**

**Binsfeld, Peter**

**Avgvstæ Trevirorum, 1609**

IV. De dispositione concionis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40721**

se sentit, argumento est, meditationem bene spiritui suo cessisse: ut Euangelium meditatum in libro Apocalypsis beati Ioannis quod amaritudinem affert ventri, *et si in ore tuo videatur dulce tanquam mel.* Sciat quanto plures lacrymas effuderit, tanto melius gustare faciet populum myrrhæ amaritudinem. Tandem dabit illi Dominus intelligentiæ lumen spiritualis, scriptum est enim: *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis*, modo humili gratiarum actione recipiatur, & donum gratuitum, nulliusque meriti esse sui agnoscat. Et si nullum alium laborum fructum recipiat electione, ante meditationem, illo contentus sit, memor illam etiam esse gratiam, donumque DEI. Certus etiam sit, si his bene utatur, maiora se accepturum. Meminerit præterea præceptorem non solere alteram discipulo lectionem dictare, donec priorem bene teneat. Denique, si in nihil recipiendo humiliare se nouit, non exiguum Concionator fructum Capiet:

## CAPVT IV.

DE DISPOSITIONE  
CONCIONIS.

QVÆ legerit, meditatusque fuerit Ecclesiastes,



siastes, ordine digerat necesse est: qui ordo loco libri erit, quo memoriae causa quotidiana notamus. Dicit enim non potest, quantum ordo, dispositioque memoriam iuuat: si enim multa collegerit, magnamque rerum copiam in suggestum attulerit, sed rudia omnia, & indigesta; & confuse omnia, perturbateque dicet, & fastidium auditoribus sine fructu pariet. Deinde aut non intelligit auditor, aut nihil memoria retinet; & rerum permissio efficit, ut nihil persuadeas, voluntatemque non moueas. In vniuersitatis creatione ordo docetur, & in aedificijs exstruendis: ut medijs concionibus Spiritus sanctus in cordibus habitet fidelium. Primo creauit DEVS (ut imaginamur) materiam primam informem; hinc lucem, & terram, ceteraque, quae materiam & illustrarent, & adornarent, donec ad hominem creandum peruentum est; omniaque suo loco collocauit. Idem concionatori sentio faciendum; qui locum primo eligat Topicum, argumentum hinc ducet, materiamque doctrinae, quaeque sermone persuadere populo cupit: deinde conquiret, quid ea de re sancti Patres docuerint, meditabiturque Euangelium; hinc ornabit eleganti ordine, omniaque locis accommodis disponet, partes digerendo, donec intellectui factum sit satis. Ad haec habeat Locos multos communes in promptu, sententiarumque copiam, auctori-

tori-



storitatum vim, rationum momenta, Meta-  
 phoras, seu translationes, tropos, & figuras sa-  
 cræ Scripturæ, exempla, historias, & similitu-  
 dines: qualia nostra memoria singulis libris  
 collecta, & edita legimus; vtilius tamen suis  
 quisque vigilijs, & lucubrationibus vtitur. Ca-  
 ueat tamen, ne quid præter rem adferat, sciat-  
 que suo loco, & tempore placent, & iuuant;  
 ea si loco suo moueas, neque vtilia sunt, nec  
 persuadent. Prophetarum loca recte expli-  
 cata docent, & admiratione ipsa mouent, fru-  
 ctumque afferunt, præsertim cum DEVS ex-  
 postulat cum hominibus, & eæ prophetiæ ve-  
 hementer mouent, quas in lege gratiæ imple-  
 tas videmus. Interdum vtile erit Euangelium  
 dici explanare ordine, & ad verbum, haurien-  
 do hinc inde quæ ad mores pertinent: quo  
 potissimum concionantis referri labor debet.  
 Nonnunquã verò, explicato paraphrasi qua-  
 dam Euangelio, periodum aliquam, vel sen-  
 tentiam Euangelij sumat, quæ luminibus illu-  
 strata, magnam dicendi, & amplificandi mate-  
 riam suppeditabunt, Verum tanta in his va-  
 rietas existit, quanta est ingeniorum, cum nõ  
 solum quæ vni placeãt, alteri displiceant, verũ  
 etiam plerunque quæ nobis hodie probaban-  
 tur, postredie improbantur: vt quæ hodie cõ-  
 ponenti placebant, die sequenti reijciat.

Conciones primum calamo scribere, pru-  
 dentis est hominis, & periculum vitantis: per-  
 com.



commodum item sequentibus annis. Verum scribendi rationem variam varij tenent: alij compendio quodam quę dicturi sunt, & summa capita notant: alij tribus, quatuorve folijs integram orationem diffuse scribunt; nec audent verba publice facere, nisi prius ea scripserint, memorięque de scripto mandarint: & laboriosum est; & incipientium, meticulousorum potius, quam in concionandi arte experientium. Et vero his alligari verbis, dicentis vim (spiritum vulgo appellant) continere videtur, & refrenare, quo minus libere audeat Concionator obiurgare, & vehementius, diuino Spiritu suggerente, dicere: Sunt & qui mediam viam, quam probo, tenent; vt vna pagina rem, de qua dicturi sint, summatim, & methodice complectantur: quin & verba apposita ad rē ipsam adiungunt, ordineque omnia disponunt. Sic fit, vt liberiore, cum res postulat, campo excurrere possint, ad amplificandum sermonem; & eloquentię vim ostentandam; vt quę affectus mouere possint, subitario dicendi impetu. Et hęc quidē ratio, mea quidem sententia, tuta est, & frequens.

Phrases, dicendique modus, & verba, cauedum ne affectata adhibeantur, & plus æquo conquisita; hęc enim & dicentis animum efficcant, & audientis. Vitanda contra & verba sordida, rustica, & barbara, & obsoleta: sit itaq; sermo castus, quem nemo æstimator æquus

Zz facile



facile reprehendat. Descripta iam concione, repetat interdum, vt memoria non solum infigatur, verum etiam vt decentibus verbis, gestuq; & actione exprimat, priusquam in publicum prodeat; præsertim si non magna dicendi venustate, naturæ beneficio, & arte polleat, nec vsum concionandi habeat.

Sunt qui memoria locorum vtuntur, & artificiosa, quam ab Oratoribus, adhibitis imaginibus, didicerunt. Sed vidi his impediri sæpenumero magis, quam iuuari. Mediam itaq; viam hic quoque tenere iuuat: vt in margine orationis scriptæ, sex, vel octo locis, præcipuis notas pingat, vt crucis figuras, litteras, & numeros: quibus memoria comprehensis, fidere possit, si forte, vt sepe accidit, memoria exciderent, quæ didicisset, vel inter concionandum turbaretur: ad quas Notas, tãquam ad anchoram, confugere queat.

Opportunum tempus concionis memoriæ mandandæ, est pridie vespertinis horis accurate ediscere, priusquam quieti se nocturnæ, somnoque necessario tradat, vt à somno euigilanti species impressæ occurrant, cubitu vero surgens exigat à memoria quæ pridie, tanquam deposita tradidit. Orationem, quoq; ad DEVM matutinam ea dere instituere poterit, de qua verba ad populum facturus est, vt sibi ipse persuadeat, quod alijs dicendo persuadere conatur. Facilius enim id consequetur, vt ali-

os in



os in suam sententiam rapiat, qui sibi primum  
persuaserit, quod ab alijs extorquere nititur.

Neque vero minus studium est adhibendū  
in ijs quæ dicenda non sunt, quam in ijs, quæ  
dicenda videbuntur, Verba itaque de re con-  
trouersa, & graui expendat, ne quid excidat  
imprudenti, quod cum Scholastica pugnet  
Theologia. Et si forte humanitus, vt fit, ali-  
quod verbum imprudenter excidisset, aut  
sententia, quæ in malum sensum rapi posset,  
& periculose sonet; statim ipse, priusquam ad  
alia pergat, perspicue explicet necesse est: ne  
quod scandalum, aut offendiculum, quasi fe-  
cius de religione sentiat Concionator, in au-  
ditorum animis relinquatur: nam, vt Prophe-  
ta ait, *Eloquia Domini, eloquia casta.*

*Psal. 110.*

## CAPVT V.

*QUOMODO SE IPSE COM-  
parabit, & cum fructu alios  
iuuabit.*

**M**A TER, vt lacte nutriat infantem, se a-  
lit primum, curatque valetudinem, &  
solidos cibos mandit, quos in infantis os inge-  
rit. Ad eundem modum Concionator, vt spi-  
ritualē escam populo, quem filiorū loco habet  
commode præbeat, prius ipse cibum mandet,

Zz 2 vt